

194. (20)
194.




De reliquiis Lutheri

RECTOR
ACADEMIÆ LIPSIENSIS
Ad
Memoriam
B.D. MARTINI LUTHERI,
Oratione Solenni
in Templo Academico
celebrandam,
Utriusq; Reipublicæ Proceres Civesq;ve
decenter amanterq; invitat.





Abent Pontificii plurima, quæ ipsorū
Ecclesiam cum superstitionis vanitatisq;
tum minus recti erga Deum cultūs ar-
guunt, quorum ut recensetur nunc or-
do, non est opus. postquam id hinc inde
Theologi non nostri solum, sed etiam
Reformati, & qui præter hos sunt alii
perquam multi, dudum & invictissimis
argumentis demonstrarunt. Quod si tamen allegandum quid-
piam in exemplum est, justam meritò movet piis indignatio-
nem cultus iste, quo Pontificii Sanctos Martyresq; prosequun-
tur, quem, quoniam huic cultui, qui Deo soli debetur, æmu-
lus est, damnat omninò vindex honoris sui Numen. Quin
etiam eo usq; temeritatis processit ardor iste erga Sanctos,
ut & mendici in Italiz Urbe Patavio non Eleemosynas expe-
tant propter Deum, sed propter S. Antonium de Padua; Tum
& porrò, ut Maria velut communi consensu præferatur Chri-
sto, ceu Mater Filio, & ut deniq; de novo quidam subinde in-
ferantur Sanctorum Ordini, quasi fortè periculum subsit, ne
deficiant priores. Cujus rei exemplum nostra hæc tulit ætas
ante unum & alterum annum. Tacitè perstringit ridiculum
istud erga Sanctos studium Johannes Mabillonius, Monachus ipsè
Benedictinus in Galliâ, quando scribit: *Cum in Bibliothecâ Bar-
barina Rome versaremur, narratum est, quòd Pontifex Urbanus (IIIX.)
ab Hispanis quibusdam interpellatus de concedendis Indulgentiis ob cul-
tum cujusdam Sancti, cui S. VIAR. nomen inditum erat, negaverit Pon-
tifex id se facturum, nisi prius resciret, quis & qualis esset ille Sanctus,
& quò tandem argumento ejus Sanctitas probaretur. Allatus est lapis,
in quo hæc litera reliquæ erant: S. VIAR. At periti judicarunt, fra-
gmentum esse veteris Inscriptionis, in qua quidam Præfectus VI-
ARum laudabatur. In Museo Italico T. I. p. 145. Sunt etiam
inter istos - Sanctos non pauci, qui relictis locum suum habe-
rent*



rentinter fabulas, & inter svavia delirantis ingenii somnia, Nescit enim Antiquitas unquam extitisse *Longinum* militem; (quem ἀπὸ τῆς λόγχης à Lancea, quâ Christi latus fuit perfossus, finxerunt) nescit ea quoque *Christophorum Magnum*. Quin imò plurimos ex Sanctorum Civitate ejecerunt ipsi Pontifices, quorum exempla videre licet allegata à *Voëtio in desperatâ causâ* Papatus, Parte II. Conf. B. *Scherzerus in Anti-Bellarmino*, p. 448. Pertinent huc etiam Scripta *Joh. Launoii* Sorbonistæ Theologi, qui & in Sanctorum vitas inquisivit publicè & diligenter, & aliquot illorum sanè vel profus non vixisse unquam, vel saltem Sanctitatis notâ commendandos non esse, ostendit, edito, præter alios ejusdem argumenti tractatus, singulari, de curâ Ecclesie pro Sanctis & Sanctorum Reliquiis, ac sacris officiis ab omni falsitate vindicandis. Nec dubium est, quin, si quis stupenda ista Volumina, quibus *Acta Sanctorum* complexi sunt Jesuitæ *Papebrochius* ac *Henschenius*, postq; eos alii, perlegere velit, plurimos sit inventurus vel chimæricos, vel perpetuâ exustione dignos, quibus applicare liceat illud *Augustini*: Multorum corpora honorantur in terris, quorum animæ torquentur in gehennâ. Perinde autem uti cum Sanctis, sic & cum Reliquiis eorum est comparatum, quas non potest dici quàm impiè colant Pontificii: dum thura ipsis accendere, ossa, & quicquid de illis reliquum vel est, vel esse putatur, circumgestare publicè, factaq; genuum flexione intueri consuecunt. Hôc sane loco non decet ponere Reliquias eorum, de quibus vel sanctitatis quædam vel illustrioris vitæ opinio est, licet nemo facillè intercedat, quominus eadem charæ nobis esse possint, ut ad minimum sint quoddam veluti speculum exemplumq; quod virtutum intuitu æmulemur. *Pii* enim *demortui honorandi sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem*: inquit *Augustinus* T. I. Opp. de vera Religione cap. 55. Hæc ideò monere necessum fuit, ut statim appareat, quorsum nostra

tendat meditatio, quando, dum die craftino publica non concione solum in loco sacrô, sed & oratione Academicâ celebranda summi extra controversiam Viri MARTINI LUTHERI memoria est, nunc *DE gratâ Lutheri apud posteros in Reliquiis quibusdam memoria*, verba quædam, ex more recepto scripturi sumus. Tantum autem abest, ut Lutherum *Sancti* nomine (*κατ' ἐξουσίαν* dicti, & quo sensu Pontificii vocabulum isthoc usurpare solent) insignire velimus, ut nec negemus omnino, cum homo fuerit, humani ab ipso alienum fuisse nihil, ut vel exemplo suô confirmet, inter Sanctos DEI neminem inveniri sine nævo, & nec cælos deniq; puros esse coram oculis DEI Job. XIV, 4. XV, 14. Martyr est tamen ille, licet violentâ morte non sublatu, sed quia *μαρτύριον* seu Testimonium, quo majus dari non potuit, dedit de Christô, & quo hic mundum beavit, Evangelio. Quod si itaque studium eorum ullâ ratione damnari nequit, qui antiqva monumenta & eruunt, & cum curâ asservant, quod si etiam celebrium Virorum nummos, imagines, & si quid demum aliud, quod eorum fuisse vel scimus certò, vel auditu accipimus, in Bibliothecis Museisq; reponimus; Quantò magis grata nobis debet esse *Lutheri* memoria, si quas de eô Reliquias vel novimus alicubi extare, vel possidemus ipsi, cum omnes alii infrâ eum sint positi, & huic ferè soli, post Deum, id adscribendum sit, quod nobis nunc liceat depuratam ab immunditie Papali undam ex fontibus Israëlitis haurire. Eo autem procedemus ordine, ut & allegemus nunc quasdam de eô RELIQUIAS, & demonstramus *postea*, quid exinde aliis capiendum sit commodi, & *quousq;* grata Lutheri debeat esse memoria. Inter Reliquias autem Lutheri referri omnino merentur; (a) *Annulus* ejus, quem beatissimæ Recordationis Princeps & acerrimus Evangelicæ fidei Vindex, Elector JOHANNES GEORGIUS I. per dies vitæ digito gestare consuevit; à cujus obitu detractus ille nunc asservatur; prout id patet ex

Relatione

Relatione de Apparatu ad humationem Serenissimi funeris, quæ annexa legitur ad Concionem funebrem à B. D. VVellero habitam. (b) Celsula, seu Camera Lutheri in Monasterio Augustinianorum Erfurti, quæ maximâ cum curâ & seruator hodiè, & ostenditur peregrinantibus: Quemadmodum etiam Magdeburgi in Cœnobio, à Monachis ordinis ejusdem quondam habitato. Camera, quâ Lutherus in illam urbem veniens degere solitus fuit, hoc Epigramma inscriptum fertur, teste Eduardo Brovvinio in Itinerar. p. 297.

Hier ist Lutheri Kämmerlein/
Wenn er ins Kloster kam herein/
Gedächtniß halb'n wird noch iezand
Hierinn gesehn sein Bette-Spand.

prout l. c. verba formalia leguntur. (c.) *Poculum, quò usus Lutherus, habetur in Cimeliario Dresdensi. Figmentum autem est illud Vitrum Catecheticum, quò hospites excepisse Megalandrum, per calumniam dicunt Pontificii. Vide B. Dannhaueri Memoriam Thaumasiandri Lutheri, p. 85. ubi illam fabulam ulterius contra Gretserum Jesuitam aliosque rejicit in Aethæa Sanctâ sui vindice p. 124. (d.) Insigne, quò gestavit Lutherus Rosam, in ejusq; medio cor, & in cordis summitate auream crucem, additò Epigrammate:*

Der Christen Herz auff Rosen geht/
Wenns mitten unterm Creuze steht.

vide B. D. Joh. Meissneri Descriptionem Ecclesiæ Collegiatae Omnium Sanctorum Wittebergensis, p. 138. 139. (e.) *Imago Lutheri, quæ ferè ubiq; quoniam in Romæ etiam passim, in Museis & Bibliothecis picta asservatur; Quam refert B. D. Leonh. Hutterus, aliquando in Convivio à M. Paulo Salmutho, Ecclesiæ Witteb. Diacono Calviniano, vitro cerevisiâ pleno petitam, probrisque aliis affectam fuisse; in Threnologiâ de Obitu B. Egidii Hunni, (V. Vitæ. 1603.) p. 36. (f.) Pagella aliquot de Versione Bibliorum*

manu
Hymnus Lutheri chsl. A³ *Das ist unsern Guelowis
asservatur in Bibliotheca Berolinenf. v. f. 10
à Dr. Passovius v. h. Prof. Oriental. Witteb., v. l. 10
studiose atque mente subv. Lutheri curavit.*

manu Lutheri ipsius consignatæ, quales & habuit sanctæq; custodivit B. Christianus Daumius in suâ Bibliothecâ; Ipsa verò Biblia Lutheri manualia visuntur adhuc Viennæ Austriacæ in Bibliothecâ Cæsarea, teste Brovvnio allegato loco, p. 245. ubi sequentia legi possunt verba: Lutheri eigene Bibel / (scil. invenitur in Bibl. Cæs.) mit seiner eigenen Hand gezeichnet / da denn unterschiedener Orten Anmerckungen von ihm hinben geschrieben worden. (g.) *Sepulchrum Lutheri*, quod inviolatum ostenditur Witebergæ, quod violari, veruit Carolus V. Witebergam expugnatam armis ingressus, contra quàm urgebant Hispani omnes, eò usq; infensi Luthero, ut & ossibus ejus inviderent quietem, eaq; perinde, ut Hussio factum fuerat, mallent cremari; quos laudatissimus tamen Cæsar gravissimo sermone refutavit, quando dixit: Nihil mihi ultrâ cum Luthero; alium ille jam habet judicem, cujus Jurisdictionem invadere nostrum non est, neq; mihi cum mortuis bellum esse sciatis, sed cum superstitis & in nos armatis. Vide *Joh. Sleidanum Commentar. de Statu Religionis & Reipublica in Germaniâ* Lib. XIX. p. 665. & 668. At enim, ut istæ Reliquiæ Lutheri charæ admodum nobis sint, quas extare adhuc ferè omnes hinc inde ex autoribus allegatis novimus: Sic præstantiores tamen sunt illæ, quæ non per nostrum modò, sed totum ferè, quousq; Christianus dicitur, orbem famâ celebrantur. Ex quibus nominandæ omninò nunc veniunt (h.) *Cantiones sacra*, quæ sanè eâ non arte dicam, sed vi quadam divinâ & spiritui isto sunt conceptæ, ut vel quasi nolentem moveant. Fatentur sanè Pontificii ipsi, multum iis promotam fuisse passim Lutheri doctrinam. Quâ in rem sufficere allegasse vel unum testem, *Thomam à Jesu Carmelitam*, Lib. VIII. in *Thef. Sap. div. in gentium omnium salute procuranda* p. 541. scribentem: *Cantilena vernaculo Idiome quàm plurimè ex ipsiusmet Lutheri officinâ sunt profecta, mirum est, quàm promoveant rem Lutheranam. Quædam sunt catechistica, quædam dogmatica,*
alia

alia emulantur Psalmos pios, recitant exagitantq; Christianorum vitia
seu vera seu ficta, imprimis solennis illa oda est, quæ & pontificiis & Tur-
cis inferni abyssum imprecatur. Argumentum hoc plenissime exfe-
cutus est Cyriacus Spangenbergius in Libro, quem ideò appellat Ci-
tharâ Lutheri. Qui & amplig in Chronico Quersfurtensi, quod scripsit,
c. 85. p. 497. memorat, Joh. Weiffium Colonensem, Pontificiæ
Religionis gravissimum antea Sectatorem, & deinceps ad ve-
ram conversum, sibi plus unâ vice factum esse, tametsi Luthe-
rus nullo alio inclaruisset factio, præterquam quòd unici istius
Hymni: Vater unser im Himmelreich; autor esset, immorta-
les ipsi tamen deberi gratias. (i.) *Bibliorum Versio*: de qua
quidem jam paulò ante diximus quædam, hoc libentius tam-
en nunc dicturi plura, quo pretiosior thesaurus nec orbe
toto reperitur; dum, quòd Majoribus nostris non licebat, no-
bis conceditur Deo voluntatem propius cognoscere. Ut au-
thentica sit quidem hæc versio, id vel vocabuli hujus vis &
natura, tum & ratio ipsa versionum omnium, quarum nulla
talis esse potest, verat; Ut risum ideò ex aliis provocent Pon-
tificii, qui de vulgata tale quidpiam prædicare non erubescunt.
Sed & illa tamen Lutheri tanta ab ipso adornata accuratione
tantòq; studiò, ut unguis momorderit sapius, & quæ jam re-
ctè versa putaverat, emendaverit iterum subinde, meliora e-
doctus. Est fanè miraculo simile, quòd tam eleganter vernac-
ula Lingva expressus sit textus Ebræus & Græcus, ut ne ho-
diè (quò nostra Lingva ad altius puritatis culmen pervenire
vix posse videtur) elegantius queat exprimi. Patebit id ma-
gis adhuc, si cui lubeat fortè conferre invicem alias Sacri Co-
dicis in Germanicam Lingvam translationes, cum Versione
Lutheri. Digni sunt ex nostris, qui præ cæteris & scripserunt
Versioni huic Encomium, ut ideò evolvi cumq; cura legi de-
beant B. Matthesius de Vita Lutheri Concione XIV. B. Gerhardus
Conf. Cath. p. 450. 454. B. VVolffg. Franzius in aureo de Interpret.
Scriptu.

Mein Mein Tractat Tractat
Gemeinlich Gemeynlich

Scriptura & Tractatu in præfatione; & B. Mich. VValtherus in
Officina Biblica p. 361. seqq. Unicum adhuc locum ex ipso Lu-
thero adducam, ex quo constabit, quàm in minimis etiam ab
errore facili caverit sibi, dum Biblia transtulit. Sic enim scri-
bit ipse Anno 1522. ad Georgium Spalatinum, qui Altenburgi tum
temporis erat: *Non solum Johannis Evangelium, sed totum Testa-
mentum Novum in Pathmo meâ perteram, verum omnia nunc elima-
ri cœpimus, Philippus & ego, & erit (Deo volente) dignum opus, sed
& tua opera aliquando in vocabulis aptè locandis necessaria; Ideo sis
paratus, sed sic, ut simplicia, non castrensia, nec aulica suppedites. Hic
enim liber volet simplicitate illustrari. Et ut ordiar, vide, ut Gem-
marum Apoc. XXI. tum nomina, tum colores, & utinam aspectus, nobis
ex aulâ, aut unde potes, ministras. Tomo II. Epistolarum Luth-
eri Islebiæ excusarum Anno 1565. 4to. p. 55. b. quod repetitur
p. 63. a. Et alibi deinceps gratias eidem agit pro commodatio-
ne gemmarum. Eundem p. 171. rogat, ut sibi nomina bestia-
rum in V. Testamento consignatarum, tum latina tum ger-
manica velit à venatoribus procurare. Conf. B. Dn. à Sekken-
dorff Historia Lutheranismi, L. I. §. 125. 126. fol. 203. seq. (k.) Opera
demùm cetera omnia, quorum nunc nobis usus est, & quæ vel
sola ad integræ Bibliothecæ instar possunt Theologo inservi-
re. Exegeta enim Lutherus fuit optimus, quod res & ocula-
ris Commentariorum inspectio, tum & usus ipse & tractatio
probant; quod etiam demonstravit ulterius B. Dannhauerus in
memoriâ Thaumasiandri Lutheri, p. 40. Aurei sunt sanè ejus in
Genesis & Epistolam Pauli ad Galatas Commentarii. Hunc e-
quidem, postquam in compendium redegit laudatus Sekkend-
orffius L. III. f. 116. seqq. ad Ann. 1535. tandem fol. 120. b. istam addit
Epicrisin, quæ, quoniam omnibus Lutheri scriptis applicari po-
test, legi hic meretur: *Hæc si cui prolixiora videantur, aut fastidium
pariant, cum rogatum velim, ut consideret, quàm necessarium & utile
sit, ut Scripta Lutheri subinde in memoriâ revocentur, ex quibus, ut**

docen-

pulo,
docen
Comm
tia &
neo se
phasi
bitare
hac i
cioru
nitati
Benig
Basna
Refor
Proleg
476.
Luthe
etiam
Rege
rios q
tus or
tenti
purat
ab ac
T. I. A
quàm
sub n
nò, u
ejus,
niâ c
rum,
forte
grata

docen-

puto, clarissimè elucet donum Spiritus Sancti, quod habuit, ad eruendam
docendamq; veritatem Evangelicam. Non sanè nego, reperiri hodiè
Commentarios in Sacras literas, in quibus exquisita Eruditio, eloquen-
tia & industria conspiciatur: sed an unquam fuerit, qui extempora-
neo sermone, (tali enim in lectionibus suis utebatur) majori cum em-
phasi & fructu interpretatus sit Scripturas, fateor, me vehementer du-
bitare. Uti autem neminem ex nostris fore credimus, qui
hac in re nobiscum consentire nolit; ita calumnias Pontifi-
ciorum insuper habemus omninò, qui Lutheri Scripta obscœ-
nitatis arguant; Contra quos tamen & nominatim Jacobum
Benignum Bossvetum, vel ex Reformatis unus, nempe Jacobus
Basnagius defendit Lutherum, in *Historiâ Religionis Ecclesiarum
Reformatarum, oppositâ Bossveti Historiæ de Variatione Ecclesiarum
Protestantium*. Vide *Acta Eruditorum Lipsiensia Anni c1610 cXcp.*
476. Basnagio autem jungendus est ex nostris B. Job. Müllerus in
Luthero defenso, & Defensione Lutheri defensi. Equidem semper
etiam Luthero objecta fuit styli asperitas, quæ & erga Angliæ
Regem, Principesq; alios non solum, sed etiam erga adversa-
rios quosvis, usus est. At enim, uti supra vulgi fastigium posi-
tus omninò fuit Lutherus, sic judicavit etiam, morbo late pa-
tenti ad movenda esse remedia acerba licet, sanandæ tamen de-
purandæq; Ecclesiæ admodum profutura. Legatur ipse
ab accusatione isthac se defendens T. I. *Altenb.* f. 614. seqq. &
T. I. *Latino VViteb.* f. 311. b. & passim alibi: Jamq; adeò, post-
quam facile intelligitur ex adductis modò exemplis, quænam
sub nomine *Reliquiarum Lutheri* veniant nobis, oportet omni-
nò, ut dispiciamus etiam, quousq; grata ex illis apud nos, posteros
ejus, sit, saltem esse debeat, memoria. Neq; verò eò usq; vesfa-
niæ cum Papicolis procedimus, ut, quem admodum illi alio-
rum, sic nos Lutheri Reliquias habeamus pro sanctis; (nisi
tortè sanctum idem sit ac charum) Sed sunt tamen illæ nobis
gratæ non unam sanè ob causam. Etenim, dum vel ipsum

B

Nomen

Nomen Lutheri audimus, legimus, aut in mentem interdum revocamus, non potest non illud beneficium incidere simul, quò à Numine ipso instructus (quicquid etiam hinc obnitantur obvertantq; adversarii) & veram doctrinam reduxit ex tenebris, ringente licet dentesq; in Lutherum acunte Sarana, & tritum magis, quam antea fortè, ad Cælum paravit iter: Ut inde nos prorsus non pudeat & Evangelicorum & Lutheranorum nomine appellari. Beneficio enim Evangelii, & cui illud debemus, Lutheri. Lutherana Ecclesia nunc gaudet luce verbi divini, & magistra est fidei, legem Christi irretorto oculo sequitur, colit, veneratur; Nullam fidem, nullum cultum Numinis admittit, nisi quem à Christo præceptum esse è Sacris literis constat; pacem Christi spirat, & solatifluam, & sanctificam, & salvificam. Quoties Deum ipsum alloquimur, aut eundem nos alloquentem agnoscimus in Codice Sacro, in vernaculam nostram cura Lutheri translato, impius sit, qui non expendat, quantum major nostra nunc sit felicitas præ Majorum miseria, & eorum etiam hodiè in Pontificia Ecclesia, qui fictis humani ingenii Traditionibus pasti, à campis Scripturæ Sanctissimis, & ab ipso Christo suarum ovium Pastore arcentur. Psal. XXIII, 1, seqq. Joh. X, 11. Matth. XXIII, 13. Indeq; hinc sequitur etiam, ut ne facile Versionem istam Lutheri incusemus falsi. Tamen si enim id negare nolumus, dari hinc inde quædam, quoad Ritus Judaica Ecclesia, quæ vel obscurius paulò, vel minus etiam accuratè reddidit ille, tamen nec erravit unquam, quod constanter asserimus, in iis, quæ doctrinam concernunt: Nec prætereà extrà omnem controversiam sæpè est illa emendatio, quam interdum, ex contradicendi, aut critico aliquo pruritu, hic & ille attentant. Clarissimè hoc patet exemplo injurii Critici *Richardi Simonis*, qui in *Historia Criticâ Veteris Testamenti* L. II. cap. I. & Lib. III. cap. XIV. & in *Disquisitionibus Criticis de variis per diversa loca & tempora Bibliorum Editionibus*. Anno 1684. Londini

dini excusis, cap. XIX. non potest dici, quàm exagitet Versio-
nem Lutheri. Sed enim huic jam satisfecerunt alii. Vide *Acta*
Erud. Lips. 1690. p. 599. & *nos*ter quidam *Collega* in Oratione inau-
gurali, quæ Historiam Vet. T. hujus Simonis discussit p. 35. 36.
Quæ adeò, cum ita rectè se habeant, etiam oportet, ut dereste-
mur fraudes illas, quibus Calviniani quondam usi, dum vel ipsi
Templo Arcis Electoralis Saxonicæ, quod Dreisdæ est, præ-
ter mentem & voluntatem Serenissimi Electoris AUGUSTI
inferre ausi sunt corruptissimum Sacri Codicis Exemplar. Cujus rei notabile,
profecto documentum extat in *Antonii Weckii* Chronico Dresdensi, fol. 202. 203.
Merito potius sequi decet pium illud institutum B. D. Joh. *Bugenhagii* seu *Pome-
ræni*, qui diem, quo edita Bibliorum Versio fuit, hilari Convivio excepit; re-
ferente B. D. *Salomone Gesnero*, in Concione Jubilæi Witteb. d. 18. Octobr. 1602.
habita. Denique dum Operum Lutheri inter Reliquias facta est mentio, non pos-
sumus nobis temperare, quin, ut & istarum Reliquiarum grata nobis sit sem-
per memoria, eadem adhuc semel verbis gravissimi Theologi *Dannhaueri*
commendemus, inq̄uentis: *Sane summa necessitas iis, quotquot puritatem,
doctrinæ ad posteros propagandi studio ardent, incumbit, ut Lutheri scripta ab
oblivione, fastidio, atque contemtu vindicent, non quidem propter ipsam Lutheri
personam, sed propter genuinam Librorum Prophetiarum & Apostolicorum expli-
cationem. In solo Lutheri nomine nihil nobis presidii situm est, sed cardo negotii
vertitur in eo: utrum Lutheri doctrina sit pura, ab erroribus defecata, & præ-
ferenda somniis ac nugis Pontificiorum, argutiis Jesuitarum, Sophismatis Sacra-
mentariorum, impostaris & calumniis falsorum Fratrum? Hic pro Lutheri de-
posito fortiter dimicandum est, ac tanto majori hac in revigilantia est opus, quo
impensus Satan hoc agit, per adversarios hodie diabolos, ut tenebras, &
nomini & doctrinæ Lutheri offundat, dum isti nescio quàm affectant pharisaico
fastu sacrarum & spiritualium rerum scientiam, atque eruditionem, adeo ut omnia
Lutheri scripta ne casta quidem nuce, si possint, redimant; Ideo usus Librorum
Lutheri à sinceris Doctoribus & commendandus & urgendus. Hæc ita convenienter
admodum & pie *Dannhauerus* in Mem. Thaum. Lutheri cap. IX. §. 18. p. 50. 51.
Quod nostro quidem tempore hoc necessarium magis non videtur solum, sed
est omnino, quando a quibusdam Lutheri scripta allegari videmus, ut habeant
ex illis, quo errores suos & *Pharisaicæ* incrustent, & eo majori specie fal-
lant, quo illustrior est, quam ad suas partes vi omni admotisque velut
fidiculis, & invitum sæpe renitentemque trahunt, Lutherus. Demum etiam*

AM. V. 6222 x 3047340
inde grata Lutheri ex Reliquiis sibi animam nostrum Recordatio, ut non iis solum, qui Ecclesiam Christi turbatum eunt, ad ipsius exemplum resistamus, sed etiam, ut gratissimi agnoscamus Ecclesiae Reformationem, quam ut DEI sui Minister suscepit ille perfecitque, Domini adjutus ope, & in tantum quidem perfecit, ut nulla alia, *quoad doctrinam puritatem*; (Nam *morum* emendationem, de qua tamen quilibet vere Christianus sollicitus est, & esse debet, in universum apud omnes, ante Salvatoris JESU judicium sinemque adeo mundi, quicquid hic sibi somnient veteres modernique Chiliae, sperandam non esse, ductu Scripturae, censemus). Reformatione hodie opus sit. Habemus sane Libros Symbolicos, ut Confessionem nostrae fidei, a qua si quis recedit, poenas sane dabit DEO Veritatis suae vindicti gravissimas; quae etiam illos non manere non possunt, qui eosdem plane exterminatos mallent; Qui viderint tamen, ne una cum illis & veram Evangelii doctrinam, & Pacem Religionis, quae Principum nostrorum sanguine redempta fuit, auferant iterum & nobis & sibi. Id quod ut Deus avertere velit pro sua erga nos Clementia, devotissima rogamus prece, quemadmodum & ipsi gratias agimus humillimas, quod diem illum coram inventu dedit rursus, quo Serenissimus quondam Elector noster JOH. GEORGIUS II. gloriosissimae memoriae ante 26. annos instituit, ut Memoria Lutheri publice in sacra non solum sed & in Academica cathedra celebretur quotannis. Posterioris hujus officii partes exornandas dedimus *Pereximio* atq; *Clarissimo* DN. M. CHRISTIANO CRUSIO Teuchra Misnico, Adjuncto in Pausdorsff, qui verba adeo facturus est crastino die de Reliquiis Sanctorum, prout a Pontificis & Lutheranis coluntur. Non opus fore prolixâ adhortatione ad ACADEMICAE CIVICAEQ; REIPUBLICAE PROCERES, nec ad Nobilissimos Academiae Nostrae STUDIOSOS, ut comparere frequenter seduloque auscultare Oratorem, velint, putamus, cum persuadeamur, quemvis Eorum tanti facere Megalanderi Lutheri memoriam, ut recolenda eidem spatium unius horulae impendere, vel sua sponte non sit detrectaturus. Scrib. LIPSIÆ,

Profesto Lutheri, d. XXX. Octobr. A. R. S.

elb Ibc CXIII.

Literis JOHANNIS GEORGI.

Inches

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
8

Centimetres

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

B.I.G.

reliquis Lutheri

CTOR
 MIÆLIPSIENSIS
 Ad
 Memoriam
 RTINI LUTHERI,
 one Solenni
 mplo Academico
 celebrandam,
 ublicæ Proceres Civesq̄ve
 ter amanterq̄, invitat.

Yc
 6222